DISSER

IN QVA F

DE

IVLIAN

VOCE EXT

VICISTI G

CERTIS ARGVMEN

EIVSQ

ORIGINEM IN APR

CHRISTOPHOR

HEVMA

S. THEOL. D. EIVSQ. E

IN GEORGIA

ADIECTA INV

AD LECTIONES SEM

GOTTIN

IN OFFICINA

cIↄ Iↄ c

ERTATIO
VA FABVLAM
DE
ANI IMP.
E EXTREMA
I GALILAEE
VMENTIS CONFVTAT
EIVSQVE
N APRICVM PROFERT
HORVS AVGVSTVS
VMANNVS
VSQ. ET HIST. LIT. PROF.
RGIA AVGVSTA
TA INVITATIONE
ES SEMESTRIS PROXIMI.

TTINGAE
INA ACADEMICA
Ↄ IↃ CCXL.

L E M [illegible]

Honestas, vtilitas, & iucundit
cae: *honestas item, vtilitas*
tici, I. Huius posterioris
docetur, ac simul iustus ei
modus, II. Producitur ant
testis, Theodoritus, *adie*
stes Theodorito σύγχρονοι,
ti & Sozomeni, *V. Comm*
propagarunt remotiori a nobi
VII. Nominantur, qui ante
quorum tamen nemo eam r
sit, hanc refutare fabulam,
fabula silentio scriptorum T
raturorum eam, si vera esset,
vissent & pro vera habuissent
inconuenientia & incredibilit
betur refutatio adulterina,
renda, XIII. Indicatur orig
vitatio ad audiendam proxim
sticam: *adiecta epistola* Fro
ri fructu artis typographic
lectiones Theologiae mor
nendis disputationum stu
minis actiua, XIX. Inuitat
Pauli ad Timotheum &
epulas Historiae literaria
XXII.

A

E M M A T A.

iucunditas studii Historiae ecclesiasti-
, *vtilitas, & iucunditas studii mythocri-*
sterioris studii cultura quando effloruerit,
iustus eius studii tractationi praescribitur
citur antiquissimus de voce Imp. Iuliani
us, *adiecta epicrisi, III. Audiuntur te-*
χξονοι, *IV. De fide historica* Theodori-
V. Commemorantur, qui fabulam istam
ori a nobis aeuo, VI. qui aetate propiori,
qui ante me viderunt, hanc esse fabulam:
mo eam refutauit, VIII. An ius fasque
fabulam, disceptatur, IX. Refutatur haec
ptorum Theodorito vetustiorum, nec igno-
vera esset, nec taciturorum, si eam & cogno-
habuissent, X. Refutatur item rei ipsius
ncredibilitate, XI. Profertur & caueri iu-
lterina, XII. Origo fabularum cur quae-
atur origo huius fabulae, XIV. XV. In-
m proximo semestri Historiam Ecclesia-
istola Frobenii *ad* Lutherum *de saluta-*
ographicae, XVI. XVII. Inuitatio ad
iae moralis, *XVIII. Meditatio compo-*
m fluctibus aptissima de libertate ho-
Inuitatio ad Exegesin Epistolarum
eum & ad Titum, *XX. itemque ad*
iterariae, *XXI. Pio voto concluditur,*

A I. Et

I.

Et honeſtus & vtilis & iucundus labor eſt ille, qui in *Hiſtoria* conſumitur *eccleſiaſtica*. Quid enim honeſto & generoſae mentis homine dignius, quam diuinae prouidentiae, Eccleſiam irretorto oculo reſpicientis, acta cognoſcentem & contemplantem augeri ſublimi illa coeleſtique ſapientia, confirmarique lucidius de diuino religionis ortu, deque noſtrae doctrinae cum Apoſtolica & aeuo Apoſtolico proxima conſenſu? Quid vtilius & fructuoſius, quam veteris aeui exempla vitae ſanctiſſimae intuendo ſuam corroborare pietatem? ac ſimul prudentiam ſacram, vitae omnis rectricem, duce iſta hiſtoria cum certiorem reddere, tum auctiorem? Quid ſuauius denique, quam obire hoc pacto omnes omnis aeui & omnium terrarum eccleſias, ac tum intueri praeclaros earum doctores, tum fata religionis admirari partim inter, partim poſt multas magnasque difficultates proſpera? Cum vero haec hiſtoria, vti caetera hiſtoria omnis, plurimis diſtincta ſit fabellis, has inueſtigare atque a vera hiſtoria ſeiungere eſt pariter & honeſtum & vtile & iucundum. Honeſtum eſſe hocce ſtudium, fateri oportet eos omnes, qui Ciceroni (a) aſſentiuntur, *turpe eſſe errare ac decipi*. Vtilitas huius ſtudii hinc elucet, quod fabulae eccleſiaſticae multa afferunt damna, corrumpendo hiſtoriam, falſas doctrinas fulciendo, aliasque opiniones practicas animis ingenerando publice priuatimque noxias. Iucundiſſimum denique eſt, e tenebris in lucem emergere, & victa ignorantia profligatoque errore certam tenere veritatem, dediſcendoque errores a vulgo acceptos diſcere, quid veri habeat hiſtoria Eccleſiae. Vix dulcior eſt poſt longiorem noctis caliginem conſpectus ſolis, quam intuitus eius, quod in tanti

(a) *Lib. I. de officiis cap. 6.*

ti temporis tantique momenti historia verum est ac sincerum, hoc est, ab omni siue errore siue mendacio veterum pariter ac propioris aetatis historicorum repurgatum.

II.

Est haec pars *Criticae historicae*, quam post renatam religionem, & his proximis potissimum temporibus, excoluerunt plures: quos iure appellaueris *reformatores historiae*. Tam autem longe tamque late regnat in agris historicis infelix fabularum lolium, vt minime sit credendum, omnes iam fabulas e prisci aeui historiis esse eiectas & critico confossas obelo. Restant haud dubie permultae, quarum agnitio ac refutatio partim nostrae huic aetati, partim posteris ingenio doctrinaque pollentibus relicta est. Certe speramus, nunquam posthac defuturos, qui Augeae hoc stabulum purgare magis magisque aggrediantur: illud praeterea optantes, vt, qui id facturi sunt, non dictatorium perfunctoriumque in modum decernant, hanc vel illam narrationem esse falsam & fabulosam, sed suae sententiae rationes tam luculenter explicent, vt iudicari debeant iustam perfectamque protulisse eius demonstrationem, qualis quidem huic literarum generi conuenit. Mihi quidem, qui multum iam fabularum e castris, vt ita dixerim, historicis eliminaui, idque subscribentibus eruditorum hominum cordatioribus, nunc illam arietare libet fabulam, qua traditur, vltimam hanc vocem in CHRISTVM emisisse Imp. Iulianum: VICISTI, GALILAEE. Nec timeo, ne superuacua functurus sim opera, cum nec hodie desint, qui pro vera recitent istam historiam, & nemo adhuc iusta ac decretoria pugna hoc historiae spectrum confecerit.

III.

Iam cum omnis historiae fides nitatur auctoritate te-

ſtium, primo loco cognoſcendus eſt is, qui omnium primus id literis memoriae prodidit. Effluxetant ſcilicet a Iuliani morte plures, quam ſexaginta, anni, cum *Theodoritus*, Cyri (quae Syriae vrbs erat,) Epiſcopus, in *Hiſtoria* ſua *eccleſiaſtica* (b) haec perſcripſit: *Aiunt, Iulianum accepto vulnere manum impleuiſſe ſuo ſanguine, eumque ieciſſe in aërem, hac emiſſa voce*: VICISTI, GALILAEE: *atque ita ſimul victoriam* (CHRISTI) *confeſſum, & blasphemare* (ipſum) *auſum eſſe.* Graeca verba haec ſunt: Ἐκεῖνον φασὶ δεξάμενον τὴν πληγὴν, εὐθὺς πλῆσαι τὴν χεῖρα τοῦ αἵματος, καὶ τοῦτο ῥίψαι εἰς τὸν ἀέρα, καὶ φᾶναι, ΝΕΝΙΚΗΚΑΣ ΓΑΛΙΛΑΙΕ, καὶ κατὰ ταυτὸ τήν τε νίκην ὁμολογῆσαι, καὶ τὴν βλασφημίαν τολμῆσαι. Laudo equidem hunc hiſtoricum, quod perſpicue docet, id ſe non accepiſſe a teſtibus certiſſimae fidei, ſed audita & vulgo iactata referre. Illud non laudo, quod temere rumori ἀδεσπότῳ fidem habens hoc adiicit epiphonema: *Adeo inſanus erat Iulianus*, οὕτως ἐμβρόντητος ἦν. Debuiſſet videlicet hic Theologus, vir alioquin (c) eximia ornatus eruditione, examini ſubiicere iſtam narratiunculam: quod

(b) *Lib. III. cap. 25.*

(c) *Eruditiſſimum ſui ſaeculi virum* appellat Dallaeus: & Suicerus *Theſ. eccl. T. I. p. 1234. optimum Scripturae interpretem.* Simonius quoque *Hiſt. crit. V. T. lib. III. cap. 10. p. 408.* commentarios eius in ſacrum codicem anteponit omnium caeterorum Patrum commentariis. Audiamus & e *Scaligeranis* vocem Scaligeri: *Le meilleur de tous les anciens eſt Theodoritus, quem male Theodoretum vocant.* Aſſentior Scaligero, recte dici *Theodoritum.* Nam ita & a ſeipſo vocatur hic veteris Eccleſiae doctor, & a ſui aeui ſcriptoribus, (e. g. Gennadio *lib. de ſcript. eccl. cap. 89.* & Theodoro Lectore *Hiſt. eccl. lib. I. p. 553.* & 565. & 566.) & a praeſtantiſſimo ſuo editore, Valeſio. Cum igitur Graece non vocetur Θεοδώρητος, ſed Θεοδώριτος, apparet, hanc poſteriorem appella-

quod si fecisset, in eadem, quae postea a me proferentur, falsi indicia incidisset, vel saltim Curtium (d) imitatus hunc in modum scripsisset: *Equidem plura transcribo, quam credo. Nam nec affirmare sustineo, de quibus dubito, nec subducere, quae accepi.*

IV.

Scripserunt eadem, qua Theodoritus, aetate historiam ecclesiasticam *Socrates*, *Sozomenus*, & *Philostorgius*. Posterior tamen his scripsisse videtur (e) Theodoritus. Cer-

pellationem arcessendam non esse a vitio Latinae pronuntiationis: quae quidem Fabricii est sententia *Bibl. Gr. lib. V. cap. 11. p. 450.* Vnde igitur? An forte in illa Syriae regione Θεοδώριτος nomen fuit deminutiuum a Θεόδωρος? quem in modum non solum *Theodosii* nomen occurrit, sed etiam *Theodosioli*, e. g. apud Socratem *lib. IV. cap. 19.* Sed relinquo aliis indagandam certam huius nominis rationem: illud ad vltimum obseruans, nominis *Theodoritus* breuem esse, non longam, syllabam penultimam.

(d) *Lib. IX. 1. 34.*

(e) Hanc sententiam Gennadius confirmat, in libri *de script. eccl. cap. 89.* docens, *mortuum esse Theodoritum sub Imp. Leone seniori, & vsque ad hunc scripsisse Historiam Ecclesiasticam.* Hinc ad eam inclinor sententiam, Theodoritum, aegre ferentem, Eusebio in scribenda Historia ecclesiastica successores se praebuisse Socratem & Sozomenum, Iureconsultos, Philostorgium item, haereticum sectae Arianae, ideo se accinxisse ad Historiam scribendam ecclesiasticam, vt Eusebio Episcopo in exponendis sacrae reip. rebus successisse diceretur Episcopus Theodoritus. Certe diserte se haberi vult successorem historicum Eusebii in libri sui primi primo statim capite. Ac sane turpe fuisset, tacere de rebus in Ecclesia gestis Theologos, scriptitare Iureconsultos vel etiam haereticos.

te post Socratem & Sozomenum ab eo concinnatam fuisse *Historiam* suam, allatis aliquot argumentis in *Praefatione* ad eam docet Valesius: qui & ad eius *libri I. caput I: Tota Theodoriti Historia*, inquit, *nihil aliud continet, quam τὰ παραλειπόμενα Socratis atque Sozomeni*: quanquam huic sententiae refragatur Ant. (f) Pagius. Quid igitur hac de re *Socrates*? Tacet eo (g) loco, quo Iuliani ex hac vita describit exitum. Tacet, inquam, quia vel nihil huius rei inaudierat, vel famae illius agnouit vanitatem erroremque. Quid *Sozomenus, longe inferior* (h) *Socrate historicus*, hoc est, minus limati iudicii? Hic vero, quod suas peruenerat ad aures, hisce verbis (i) exposuit: *Iulianus accepto vulnere aliquatenus intellexit, vnde profectum sit hoc malum, suaeque huius calamitatis causam non prorsus ignoravit. Nam cum vulneratus esset, haustum e vulnere cruorem in coelum proiecisse dicitur, velut in CHRISTVM sibi apparentem oculos coniiciens, eumque suae necis accusans. Alii dicunt, eum Soli iratum, quod Persas quidem adiuuisset, at ipsum non seruasset, manu sua* (ei) *ostendisse sanguinem, eumque in aërem eiectasse.* Duas scilicet pro vna nobis exponit vulgi fabulas, non indicans, vtri suam addicat credulitatem: nisi quod subiicit, non videri sibi incredibile, conspectum tum in coelo CHRISTVM fuisse a Iuliano. Suo tamen docet silentio, se non audiisse, ex ore Iuliani illam simul prorupisse vocem: VICISTI, GALILAEE. Caeterum id, quod narrat, fabulosum esse vtrumque, facile, vt credas, adduceris, si caetera huius ipsius capitis legas, haud dubie fabulosissima

&

(f) *Crit. Baron.* ad a. 427. *§. 15. & 16.* Quanquam duce annotatione mea proxime allata facile Pagium in concordiam redegeris cum Valesio.

(g) *Lib. III. cap. 21.*

(h) Ita Valesius iudicat in *Praef.* ad vtrumque.

(i) *Lib. VI. cap. 2.*

& emunctae naris historico perindigna. Harum duarum, quas de Iuliano profert Sozomenus, narrationum vnam duntaxat cognitam habuit *Philostorgius*: cuius & ipsius recitari oportet (k) testimonium: *Iulianus*, inquit, *cruorem e vulnere manibus exceptum proiecit versus solem, hoc verbo eum affatus*: Κορέσθητι, *SATIARE. Praeterea & alios Deos vocabat malos atque exitiabiles*. Non absimilis est vetus illa de Cyro fabula, quam hisce verbis retulit (l) Iustinus: *Caput Cyri* (in proelio trucidati) *in vtrem humano sanguine repletum coniici regina* (Scytharum, Tamyris,) *iubet, cum hac exprobratione crudelitatis*: *Satia te sanguine, quem sitiisti, cuiusque insatiabilis semper fuisti*. Quodque de sanguine suo a Iuliano versus coelum proiecto modo cognouimus, nobis in memoriam reuocat illam fabulam, quam Theodoritus inter alias manifestae notae fabellas alibi (m) narrauit, scribens, Saporem regem conspecto oculis suis ipso DEO pro Romanis pugnanti, exarsisse furore tanto, vt *in coelum sagittam emitteret*, quasi ipsi vulnus inflicturus Numini.

V.

Iam cum illa de VICISTI, GALILAEE traditio solius auctoritate nitatur Theodoriti, ac de emissione sanguinis in coelum etiam Sozomenus faciat mentionem, haud alienum fuerit docere, non tam bonae notae esse hoc historicorum par, vt, eorum testimonio acquiescendum esse, iudicari debeat. Vulgo dicitur, qui semel fuerit mendax, eum iure suspectum esse aliis quoque de rebus testem. Iam vero, qui scire voluerit, quot falsa quarti saeculi miracula tradi-

(k) E *libri VII. cap. 15.* Similis est narratio *Chronici Alexandrini*, quod verius *Paschale* vocatur. Ibi enim *p. 298.* ita exclamasse dicitur accepto vulnere Iulianus: *O sol, perdidisti Iulianum.*

(l) *Lib. I. cap. 8.*

(m) *Hist. eccl. lib. II. cap. 30.*

tradiderit pro veris Theodoritus, eum inſpicere iubeo libri primi *capita* 7. 18. 23. *&* 24; libri ſecundi *caput* 30; libri tertii *caput* 7. *&* 20; libri quarti *caput* 16. & 27; libri quinti *caput* 21. & 34. Tales atque aliorum generum fabellas adeo indignas hoc Epiſcopo cenſebat Riuetus, vt in *Critico* ſuo *ſacro* (n) ita pronuntiaret: *In Theodoriti tam* Hiſtoria eccleſiaſtica, *quam* Hiſtoria Patrum, *fabellae quaedam adeo ineptae recitantur, vt vix mihi perſuaſerim, eiusmodi deliria ipſi placuiſſe, ſed, a quibusdam nugatoribus fuiſſe inſperſa, potius* (o) *crediderim.* Taceo, & hiſtoricos & chronologicos Theodoriti errores multos notaſſe in ſuis ad eius *Hiſtoriam* annotationibus Valeſium, virum ſumma praeditum doctrina & admirabili ingenii acumine. Ad Sozomenum quod attinet, etiam huius errores hiſtoricos obſeruauit haud paucos Valeſius. Ego quidem cuiuis emunctae nari ſubiicio eius libri primi *caput* 13. & 14; ſecundi *cap.* 3. & 7; tertii *cap.* 14; quarti *cap.* 16; quinti *cap.* 10; ſexti *cap.* 28. & 29; ſeptimi *cap.* 5. & 26. & 27; octaui *cap.* 5; noni denique *cap.* 2. & 17. Quae certe loca fabularum plena ſunt omnia. Iam tot fabellarum textori quis fidem habeat id narranti de Iuliano, quod & per ſe a vero abhorret nec grauibus aliorum corroboratur teſtimoniis?

(n) *Lib. IV. cap.* 21. *p.* 454.

(o) Id vero credere non debebat Riuetus, ſed exploratum habere, credulitatem eſſe commune veterum Eccleſiae hiſtoricorum vitium. Idem, quod Riueto, accidit Io. Muſaeo, cum legiſſet in Auguſtini libro *de ciuitate Dei* vltimo caput octauum. Deprehendens enim ibi tot fictitia miracula, ſibi perſuadebat, ab aliena manu ea eſſe inſerta, credens videlicet, Auguſtinum fuiſſe ſui ſaeculi Muſaeum, hoc eſt, virum maxima inſtructum acie iudicii, & in arte ratiocinandi exercitatiſſimum. Vid. eius Diſputatio a. 1655. habita *de miraculis* §. 78. *ſqq.*

VI.

VI.

Nec tamen defuerunt, qui fabulam illam a Theodorito proditam inter veras referrent historias atque ad posteros propagarent. Sexto saeculo Cassiodorus in *Historia* (p) *tripartita* ipsa Theodoriti verba fecit sua: *Aiunt*, inquiens, *quia*, (id est, *quod*,) *dum fuisset vulneratus, mox manum sanguine suo compleuerit, & in aërem proiecerit, dicens: GALILAEE, VICISTI. Et in eo ipso confessus est cum blasphemia victoriam.* Nono saeculo Photius, vir alioqui sui nominis, ad Philostorgii libri septimi caput XV. haec adscripsit: *Philostorgius hoc loco scribit, Iulianum haustum sanguinem in coelum proiecisse, & suis Diis conuiciatum esse. Plerique tamen historiae scriptores vtrumque horum a Iuliano factum esse tradunt aduersus Dominum nostrum ac Deum verum, IESVM CHRISTVM.* Quibus e verbis apparet, saeculo item septimo atque octauo Theodoriti valuisse auctoritatem. Saeculo vndecimo Marianus Scotus fabulam hanc suo quoque insertam voluit (q) *Chronico.* Duodecimo saeculo (r) Zonaras, auctoritatem Philostorgii secutus, hanc tribuit Iuliano vocem: Κορέσθητι, Ναζωραῖε, SATVRARE, NAZARENE. Decimo tertio Georgius Elmacinus Iulianum (s) scripsit a Persa quodam confossum ita exclamasse: *Vicisti me, o fili Mariae.* Decimo quarto saeculo Nicephorus Callisti (t) tradidit, *Iulianum sanguinem sui vulneris in coelum tanquam in CHRISTVM coniecisse,*

(p) *Lib. VI. cap.* 47. (q) *Lib. II. p.* 404. editionis Pistorianae.

(r) *Lib. XIII. Hist. cap.* 13.

(s) Ex inedito eius opere historico profert hunc locum Hottingerus *Hist. eccl. T. I. p.* 190.

(t) *Hist. eccl. lib. X. cap.* 35. vbi & alterum illud recitat: *Saturare, Nazarene.* Scilicet est hic Nicephorus iudice Casaubono in *Exerc. I. ad Annales Baronii fabularum & nugarum compilator.* Witsius *Misc. sacr. T. II. Exerc. XIV. §.* 29. eum vocat *ingentem fabularum hamaxarium.*

cisse, adiecta hac voce: *VICISTI, GALILAEE, VICISTI.* Saeculo denique decimo quinto idem *Vicisti, Galilaee, vicisti,* sine dubitatione repetiit auctor *Compilationis* (u) *chronologicae*, a Pistorio a. 1613. editae e bibliotheca Henrici Petrei, primi Gottingensis Gymnasiarchi. Ac eodem illo saeculo suis *Vitis Pontificum* (x) innexam hanc fabulam voluit Platina.

VII.

Vidimus, inde a Theodoriti aetate propagatam fuisse hanc fabulam per singula saecula: nec vel vnus nobis occurrit, qui eam reiiceret inter quisquilias historicas. Mirum vero videri debet, cum post repurgatam religionem studium quoque historiae ecclesiasticae efferuesceret, tamen hanc fabellam sectatores nactam esse innumeros, & eos etiam, qui laude florerent iudicii expolitioris. E decimo sexto saeculo commemorandus mihi est (y) Bucholzerus, & Lucas (z) Osiander, & (a) Tursellinus, & Ioannes (b) Pappus, & Baronius: qui quidem (c) de dictatorio suo tripode pronuntiat, esse hanc *rem haud dubiam.* Subsequenti saeculo itum est in antecedentium sententiam pari securitate à (d) Petauio, (e) Cabassutio, (f) Hottingero, (g) Diete-

(u) *P. 717.* (x) In *Vita Damasi.*

(y) In *Indice chronologico* ad annum 363.

(z) In *Epitomes Hist. eccl. Cent. IV. lib. 3. cap. 34. p. 378.*

(a) In *Epitomes Historiarum libro V. p. 198.*

(b) In *Epitomes Hist. eccl.* ab Eusebio Bohemo a. 1626. auctae *p. 445.* Qui quidem Bohemus nec ipse de eius narrationis veritate dubitat.

(c) *Annal. eccles.* ad a. 363. *§. 57.*

(d) In *Rationario temporum lib. VI. cap. 5. p. 220.*

(e) In *Synopsi historica saeculi quarti Ecclesiae* (quae inserta est eius *Notitiae Conciliorum*,) *§. 26. p. 91*

(f) *Hist. eccl. T. I. p. 191.* (g) In *Breuiario historico p. 219. §. 7.*

Dieterichio, (h) Rechenbergio, (i) Cellario, (k) Spanhemio, viris alioqui haud gregariis. Adeo praestringere solet oculos etiam acutos longa fabularum aetas & quasi canities. Nec iniuria huc retuleris Io. Andream Schmidium, vtpote qui in *Dissertationum*, quas *de fabulis ecclesiasticis quarti saeculi* a. 1712. & 1713. edidit, neutra fabulis illis hanc aggregauit.

VIII.

Nostra demum aetate, qua facilitati credendi successit facilitas dubitandi, praeterque caeteras disciplinas etiam historia per viam dubitationis & inquisitionis peruenit ad maiorem lucem, fuerunt, qui fidem habere Theodorito (l) desisterent, & vel vehementer suspicarentur vel prorsus certum haberent, traditionem istam esse falsissimam. Antiquiorem, quem producam, non habeo Iusto Gotofredo Rabenero, Gymnasii Misnensis Rectore, qui in *Amoenitatibus historico-philologicis*, Lipsiae 1695. editis, dubitare se ea de re (m) profitetur, nec dissimulat, in negantem se magis propendere sententiam: *Cur*, inquiens, *Gregorius Nazianzenus, qui duas inuectiuas in* τὸν παραβάτην *composuit, huius rei ne verbulo quidem meminit? At opiniones de morte eius omnes sollicite collegit.* Paulo post Gottfridus Arnoldus (n) plane inter fabellas adscribere hanc narrationem non vere-

 batur

(h) In Disp. *de Iuliani Imp. apostasia* (quae inter eius *Dissertationes historico-politicas* a. 1698. *T. I. p. 369. sqq.* recusa est,) *§. 29.*

(i) In *Historiae vniuersalis P. II. p. 26.*

(k) *Hist. eccl. Saec. IV. cap. 13. p. 931.*

(l) Nuper tamen adhuc pro vera amplexatus est hanc Theodoriti narrationem Kranzius in *Hist.* sua *eccl. p. 253.* Imo & Tillemontius in *Histoire des Empereurs T. IV. p. 548.* recitat eam, non reiicit.

(m) *P. 90.* (n) *Hist. eccl. lib. IV. cap. 1. §. 17. & 18.*

batur. Tum etiam Sam. Basnagius (o) iudicauit, eam rem *non multum probabilitatis habere, cum vulneris magnitudine paene exanimatus ceciderit.* Ac Ioannes Ensius, Theologus Academiae Traiectinae, in *Oratione de persecutione Iulianea*, quae inter *Orationes selectas* a Kappio V. C. editas recusa est Lipsiae, haec verba (p) profudit: *Quod ipse agnouerit Iulianus, diuina se vltione interfectum, proiecto, vt apud Sozomenum legimus, in coelum sanguine, dum exclamaret, quod Theodoretus addit:* Vicisti, Galilaee, *affirmare non ausim. Incerta enim esse haec omnia, satis ostendunt diuersae plane de caedis auctore vltimisque Iuliani verbis narrationes.* Postea etiam Ven. Weismannus (q) pronuntiauit, *non satis certum esse, dixisse Iulianum sparso in coelum sanguine VICISTI, GALILAEE.* Qui nuper (a. 1735.) librum *de vita Imp. Iuliani* emisit Lutetiae, Bletterius, in quo & ipse pro falsissima habendam iudicat hanc narrationem, an argumenta nonnulla ad prosternendam hanc fabulam protulerit & edisseruerit, incertum habeo. Certe, qui alteram eius libri editionem eodem anno Amstelodami factam (r) recensuit, indicare mihi (s) videtur, auctorem illum generali tantummodo argumento seu potius coniectura fidem vulgari huic fabulae abiudicasse. Nouissime Pertschius, ICtus celeberrimi nominis ingentique in Historiam ecclesiasticam studio conspicuus, & ipse

(o) *Annalium* ad a. 363. *§. V.* (p) *P. 379.*

(q) *T. I. Hist. eccl. p. 344.*

(r) In *Bibliotheque raisonnée T. XV. p. 156. sqq.* & *450. sqq.* Ex hoc loco didici, librum illum prodiisse haud adscripto sui auctoris nomine. Vocari autem eum *de la Bletterie*, docetur in *Bibliotheque Françoise T. XXI. P. II.*

(s) *Ce sont là de fables*, inquit, *dignes productions de ce zéle fanatique, qui ne peut souffrir, que les persecuteurs de la verité meurent d'une maniere ordinaire, & qui sont bonnes tout au plus à orner les Sermons de quelque Moine ignorant. L'Auteur ne s'arrete pas davantage.*

ipse fabularum in censum retulit (t) hanc historiam. Horum autem cum nemo explicate satis refellerit hanc fabellam, contentus quisque breuiter exposuisse suum iudicium, copias ego meas illico producam in aciem, ac liquidissime demonstrabo, narratione illa nihil esse falsius. Prius tamen nonnullos laudabo viros doctissimos, qui, dum in libris suis historicis de Iuliano ipsiusque adeo morte differentes silentio praetermiserunt id narrationis, significasse mihi videntur, etiam sibi dubiam fuisse sententiam. Quî enim fieret, vt omitterent rem tam memoratu dignam, si, esse eam certae fidei, sentirent? Tacet igitur de tralatitio illo Iuliani dicto Flacius in *Centuriis*, Besoldus in *Synopsi* (u) *Historiarum*, & Rupertus in sua ad hunc Besoldi locum (x) *Obseruatione*, Ant. Pagius in *Critica Baroniana*, Natalis Alexander in *Historia ecclesiastica*, Iac. Basnagius in *Historia Ecclesiae*, Fabricius in *Luce* (y) *Euangelii*. De Florentio (*Fleury*) paulo postea dicendi erit locus. Legens quoque non ita pridem Paganini Gaudentii *de vita Imp. Iuliani philosophica* libellum, atque ad caput eius XXIII. delatus, videre mihi visus sum, nec hunc Theodorito & eius sectatoribus assentiri. Denique Ven. Moshemius, vnus e nostrae huius aetatis doctissimis pariter ac eruditissimis Historiae ecclesiasticae professoribus, indignam iudicauit eam tot licet aetatum tantaeque multitudinis narrationem, quam suis insereret *Institutionibus Historiae ecclesiasticae*.

IX.

Aggressuro nunc mihi certis demonstrare argumentis, non effluxisse ex ore Iuliani vocem hanc: VICISTI, GALILAEE, manum iniicit Florentius, scriptor *Historiae ecclesiasticae* nobilissimus, ac me quoque redigere studet ad silentium. Est quidem ipsemet inter eos, quibus falsa videtur

 tur

(t) *Hist. eccl. Saec. IV. cap. 1. §. 46.* in nota *p. 75.* (u) *Cap. XV. §. 4.* (x) *P. 439.* (y) *Cap. XIV. p. 315.*

tur haec fabula, idque (z) significat suo *On dit. J'ai mis ON DIT*, inquit in *Historiae* suae *ecclesiasticae* (a) Praefatione, *à ce, qui m'a paru douteux, quand j'ai cru le devoir rapporter.* Non vult (b) tamen, refutari hanc similesque fabulas ecclesiasticas publice. Illud recte fieri ait, vt privatis in sermonibus profiteamur ad eruditos homines, nos errorem vulgi agnoscere: sed in publico tolerari censet oportere fabellas pietati alendae aptas, reuocans nobis in memoriam (quod quidem factum nollem: est enim hic illaudabilis verborum Apostolicorum abusus:) illud Pauli, in *2. ad Corinth. XIII. 10.* dicentis, *sibi datam esse a Domino potestatem ad aedificationem, non ad destructionem.* En nouam *disciplinam arcani!* Verum ipse sibi pro me respondeat Florentius, & verbis quidem his, quae eidem *Praefationi* (c) intexuit: *La Critique est donc necessaire. Sans manquer de respect pour les traditions, on peut examiner celles, si sont dignes de creance. On le doit même, sous peine de manquer de respect aux vraies en y mêlant de fausses.*

X.

Sequar itaque nunc consilium hoc ac praeceptum doctissimi Florentii, certisque & claris argumentis conficiam, narrationem illam de voce morituri Iuliani atro esse carbone notandam. Ac primo producam eos viros grauissimos, qui ante Theodoritum de morte Iuliani Imp. tragica fecerunt mentionem, nec tamen illud *Vicisti, Galilaee,* commemorarunt: minime scilicet ignoraturi hanc rem, si vera esset,

(z) *Hist. eccl. lib. XV. cap. 47. p. 109.* Ibidem cum refert, a Sozomeno scribi, *eam rem a paucis commemorari*, errat. Hoc enim duntaxat a paucis relatum esse scribit Sozomenus, quod Iulianus sub mortem coniectis in coelum oculis CHRISTVM conspexerit ipsum. Eundem errorem miror errari a Spanhemio *Hist. eccl. saec. IV. cap. 13. p. 931.*

(a) *P. 18.* (b) Eodem *Praefationis* loco. (c) *P. 15.*

esset, nec, si eam & cognouissent & pro vera habuissent, tacituri. Quod argumentum iustis circumscriptum limitibus in historia grauissimum esse, nec nisi ab iis, qui ratiocinandi arte non valent, sperni, alio loco (d) feci manifestum. Tacet igitur *Callistus*, vir Christianus, qui, cum aliquandiu Imp. Iuliano militasset, postea res ipsius exposuit carmine heroico. Hunc autem tacuisse, e Socratis liquet *Historia* (e) *ecclesiastica*. At quis credat, tale aliquid sileri posse a poëta, & quidem a pio poëta? Tacet etiam *Gregorius Nazianzenus*, qui ipso illo tempore & vixit & scripsit, quo exstinctus est Iulianus. Supersunt duae huius *in Iulianum Orationes*: quarum in neutra occurrit illud *Vicisti*, *Galilaee*: cum tamen in posteriori multa de eius morte commemorentur. Tacet *Ioannes Chrysostomus*, pluribus de Iuliani morte differens in exitu libri sui (f) *contra gentiles*. Tacet *Rufinus*, cuius en (g) verba:

Com-

(d) In *Dissert. de somnio Friderici*, *Electoris Saxoniae*, §. *XX.* & *sqq.* itemque in *Poeciles* Tomo III. *p. 192. sqq.* Non est igitur vrgendum silentium Libanii & Ammiani Marcellini, vltimas Iuliani horas luculenter describentium. Alter videlicet in *Oratione in mortem Iuliani dicta* § *137. 138.* & *140.* itemque in *Oratione de vlciscenda eius nece* §. *5.* (quae vtraque recusa exstat in Fabricii *Bibl. Graecae lib. V. cap 9.*) alter (qui ipsi illi praelio, in quo mortiferum vulnus acceperat Iulianus, interfuit,) in *Historiae* suae *lib. XXV. cap. 3.* copiose enarrantes, quid eo temporis articulo & fecerit & locutus sit Iulianus, nihil proferunt sermonis eius siue de CHRISTO siue de Christianis. Sed hi etiam tacituri fuisse credi possunt, si quid tale elocutus fuisset Iulianus. Multo minus vrgeri poterit silentium Zosimi *Histor. lib. III. cap. 29.* & Eutropii (qui ipse quoque illi expeditioni interfuit,) *lib. X. cap. 8.* quippe quos etiam sua excusare potest breuitas. (e) *Lib. III. cap. 21.* (f) In *Tomo I. Operum edit. Francof. p. 693.* (g) *Hist. eccl. lib. I. cap. 36.*

Comminatus Imp. Iulianus, post victoriam Persicam melius se Christianos debellaturum, profectus quidem est, sed nullus rediit. Ibi namque (incertum, a suis, an ab hostibus,) confossus finem vitae fecit. Narrat ibidem Rufinus, se post mortem Iuliani de Iuliano locutum esse cum *Theodoro* quodam confessore, qui sub hoc Imperatore ob religionem tortus fuerat in equuleo. Sed nec ab hoc quicquam proditum fuisse de agnita Galilaei victoria, tacendo docet Rufinus satis perspicue. Tacet praeterea *Hieronymus* tum in *Vita Hilarionis*, vbi mortem Iuliani commemorat, tum in suo *Eusebiani Chronici* Supplemento, vbi haec tantum de Iuliano perscripsit: *Ab obvio forte hostium equite conto ilia perfossus interiit anno aetatis suae trigesimo secundo.* Nec plura *Paulus* (h) *Orosius* de Iuliani morte profert. *Dum*, inquit, *per vasta deserti incautius euagatur, ab obuio quodam hostium equite conto ictus interiit. Sic misericors DEVS impia consilia impii morte dissoluit.* Idem Hieronymus in *Commentario* suo in *Habacuci* tertium caput, *se puero occisum fuisse Iulianum*, scribit. Iam cum longe prouecta aetate hoc scripserit, nec tamen mentioni mortis Iuliani adiunxerit mentionem exclamationis Iulianeae, quis non videt, nihil vnquam de hac Hieronymum habuisse cognitum? Tacet vero & aequalis Hieronymi idemque amicus *Augustinus*, qui, si vel obiter audiuisset aliquid huius rei, non erat id silentio praeteriturus in *Ciuitate DEI*: occasionem id memorandi nactus commodissimam & in quarti libri *cap. 29.* & in quinti *cap. 21.* & in duodeuigesimi *cap. 52.* Et quis dubitet, alibi quoque locorum ipsi oblatas fuisse commemorandae huius rei occasiones? Sed altum scilicet vbique tenuit silentium. Proximi ante Theodoritum scripsere *Cyrillus Alexandrinus & Socrates*:

quo-

(h) *Hist. lib. VII. cap. 30.* Hoc opus ab Orosio ad finem perductum fuisse a. 417. Pagius in *Critica-Baroniana* docet ad ipsum hunc annum *§. 23.* Satis igitur diu ante Theodoritum scripsit.

quorum hic in *Historia* (i) *ecclesiastica*, ille in decem *aduersus Iulianum* librorum volumine, itidem tacent, haud sane tacituri, nisi id ipsis ignotum fuisset prorsus. Illo autem ipso saeculo quod *Sulpicius Seuerus* tacuit, ac nono *Haymo*, ideo non vrgeo, quod ille, cum vltra Iuliani tempora suam extenderit *Historiam sacram*, Iuliani tamen plane nullam iniecit mentionem; hic, Rufini (k) premens vestigia, non voluisse plus perscribere credi potest, quam ex Rufino suo cognouerat.

XI.

Quam adhuc persecuti sumus argumentationem, ea sola omnino satis roboris habet ad expugnandam credulitatem, atque ad persuadendum, falsissimam esse narrationem Theodoriti. Cum vero narratio haec soricis more suam ipsa prodat falsitatem, nouo hoc ariete eam sum impetiturus, vt eo magis eluceat, non nisi ab imprudentissimis posse eam propugnari. Fieri scilicet non potuit, vt Iulianus, quem ex Ammiano Marcellino certo constat philosophico suo in ethnicismo ad extremum vsque spiritum perseuerasse, accepto fatali vulnere hanc ad CHRISTVM emitteret vocem: *VICISTI.* Ita enim si dixisset, annon professus hoc ipso esset, IESVM Galilaeum, victorem nunc suum, esse (quem haberi se volebat,) filium DEI? Id vero si agnouisset, sique victas CHRISTO dedisset manus, haud erat dicturus: *Vicisti, Galilaee,* (haec enim appellatio contemtum

(i) *Lib. III. cap. 21.*

(k) Haymo, duci Rufino se adhaesisse, docet ipsemet *Hist. eccl. lib. VIII. cap. 4.* exeunti, & *lib. IX. cap 8.* totum suum hoc opus finiens. Non potuit quidem ignota esse Haymoni narratio illa Theodoriti. Sed falsam eam esse, concludebat, opinor, e Rufini silentio. Certe credulum historicum haud fuisse Haymonem, ego quidem cognoui ex eius *libri II. cap. 4.* ac *libri V. cap. 6.*

temtum ſignificat,) ſed haec erupturus in verba: *Vicisti, Christe* vel *fili DEI*. Quo pacto ſimilis fuiſſet centurioni illi Romano, qui (l) conſpectis miraculis: *Hic profecto*, inquiebat, *veriſſimus erat DEI filius*. Et quemadmodum apud Ouidium (m) ad Perſeum, victorem ſuum, ſupplex ait Phineus: *Vincis*, (id eſt, viciſti me nunc,) *Perſeu*,

Non ceſſiſſe, piget. Nihil, o fortiſſime, praeter
Hanc animam concede mihi: tua caetera ſunto;

ita Iulianus *VICISTI* exclamans hac fuiſſet mente, vt fateretur, ſe nunc tandem perſpicere, IESVM non eſſe pſeudoprophetam, (quae quidem antehac ſua fuerit opinio,) ſed omnino aeternum DEI filium. Atque ita eodem ſe exemplo ſubmiſiſſet CHRISTO, quo Saulus *Actorum Apoſtolicorum cap. IX. 6*: *Agnoſco*, inquiens, *eſſe te magnum illum, quem Apoſtoli tui te praedicant, dominum. Nunc itaque ſeruum me tuum profiteor. Impera, quaeſo, quae vis a me fieri.* Simile exemplum (ſi modo verum exemplum, non falſa fabula eſt,) occurrit in Sozomeni *Hiſtoria* (n) *eccleſiaſtica*. Ibi enim relatum legimus, Diabolum per daemoniacum quendam haec ad Ioannem baptiſtam, a quo victum ſe eſſe putabat, effudiſſe verba: *Tu me vincis*, hoc eſt, agnoſco tuam, cui nunc ſuccumbo, potentiam, victasque do manus.

XII.

Fortaſſis & hoc in mentem venerit cuipiam, vt dicat, Chriſtianos quidem a Iuliano vocari conſueuiſſe (o) *Galilaeos*; at CHRISTVM ipſum hoc nomine affectum ab eo fuiſſe nunquam: adeoque hoc etiam indicio prodi fabulam.

(l) *Matth.* XXVII. 54.
(m) *Metam. V.* 216. 221. 222.
(n) *Lib. VII. cap.* 24.
(o) Pluribus exemplis id oſtendi in *Primitiis Academicis Gottingenſibus p.* 145.

lam. Sed apage hoc argumentum. Etsi enim vulgo posterius non aeque cognitum est, ac prius illud, non minus tamen verum haberi debet. Referunt namque (p) Socrates ac (q) Sozomenus, ad caecum quendam Episcopum, nomine Marim, dixisse Iulianum nostrum: *Non vnquam te sanaturus est Deus tuus Galilaeus.* Ac Socrates haec adiicit: *Solebat CHRISTVM Iulianus appellare* GALILAEVM, *Christianosque* GALILAEOS.

XIII.

Posteaquam abunde nunc demonstratum est, vulgarem de Imp. Iuliani voce extrema fabulam ex eius historia exterminandam esse, adeoque, quod promisi, praestiti, quiescere iure posset meus calamus. At probe gnarus, generosiores mentes agnitione erroris historici contentas esse non solere, sed tum demum suauiter acquiescere, cum inuestigando penetrarunt ad falsae fabulae originem ac veluti incunabula, nouum mihi laborem iniungi video. Quem quidem suscipio haud illibenter, cum & in historia iucundum sit *rerum cognoscere causas.* Est vero noua hic mihi tentanda via, cum fabulae nostrae originem inuenerit adhuc nemo. Quid? Ne quenquam quidem noui, qui eam quaesiuerit.

XIV.

Caeterum cum nemo veterum diserte docuerit, quem ortum nacta sit haec fabula, coniectando eam inuestigare mihi necesse est. Plures igitur proferam coniecturas, easque probabiles singulas: quarum cui dicas: *Tu mihi sola places*, liberum tibi relinquo, quisquis haec legis. Vtar autem duce ipso Theodorito nostro, cuius en haec (r) ver-

(p) *Lib. III. cap 12.*
(q) *Lib. V. cap. 4.*
(r) *Hist. eccl. lib. III. cap. 28.*

verba: *Ciuitas Antiochenorum comperta Iuliani caede conuiuiis ac festiuitatibus vacare coepit. Nec in templis solum ac martyriis cuncti tripudiabant, sed in ipsis etiam theatris VICTORIAM CRVCIS praedicabant, & illius oracula deridebant. Ego vero admirabilem quandam Antiochenorum vocem hoc loco apponam, vt eius memoriā custodiatur apud posteros. Scilicet communiter clamabatur ab vniuersis: Vbinam sunt vaticinia tua, stultissime* (s) *Maxime!* Ἐνίκησεν ὁ Θεὸς καὶ ὁ χριςὸς αὐτȣ̃, *VICIT DEVS ET EIVS CHRISTVS.* En locum clarissimum, e quo discimus, Antiochiae & in templis Christianorum, & in domibus eorum priuatisque conuentibus, & in theatris denique ipsis, statim post mortem Iuliani clamitatum fuisse: *VICIT CRVX* siue *crucifixus*, *VICIT CHRISTVS.* Eiusdem rei testis est, isque Iuliano aequalis, Gregorius Nazianzenus: quippe qui in *secunda in Iulianum Oratione* planissime docet, eum statim post mortem suam *vulgi & ciuitatum clamoribus exagitatum fuisse in theatro, in foro, in conuentibus*, scilicet tum domesticis, tum ecclesiasticis. Dignum attentione nostra, non vnam, vti a Theodorito, sed plures a Gregorio indicari ciuitates, morte impii Iuliani publice laetatas. Ac sane necesse est, communem felicitatem fuisse genitricem communis gaudii, nec vnam atque alteram, sed vniuersas Christianas ciuitates effusissima laetitia CHRISTO gratias egisse ob tanti sui hostis interitum. Ipse (t) Libanius simul testatur, simul detestatur & indigna-

(s) *Maximus* philosophus significatur, Imp. Iuliani familiaris, futura praedicendi facultatem iactans: id quod ibidem loci docet Theodoritus. Philosophi huius miserum sub Valentis imperio exitum tragico dicendi genere describit vanissimus ille Platonicorum suae aetatis philosophorum praeco, Eunapius, *p. 102. sqq.* Memorat eiusdem supplicium breuiter Zosimus *Hist. lib. IV. cap. 15.* & Socrates *Hist. eccl. lib. III. cap. 1.*

(t) *Centuriae* Wolfianae *Epist. VII. p. 15.* quae est in magno Liba-

gnatur, exstincto Imp. Iuliano *duas* magnas *vrbes tripudiasse & gaudio exultasse*. Ac facile subscribimus Wolfio, (quem his pariter ac sacris literis festinata morte nuper ereptum esse, vehementer dolemus,) *Antiochiam* innui & *Caesaream* arbitranti. Videtur autem Libanius has potissimum vrbes ethnico suo carbone notasse, quod in iis essent theatra comica publico hoc gaudio mirifice resonantia. Nec nouum hoc erat in illius aetatis theatris. Cognoscimus enim ex (u) Euagrio, moris tum fuisse, eminentiores viros populo exosos, cum infelices facti essent, exagitari in comoediis. Quid? Ipsos Christianos in ethnicis theatris ludibrio populi subinde fuisse expositos, pluribus confirmant exemplis (x) Eusebius, (y) Socrates, & (z) Sozomenus. Apparet itaque, par pari redditum fuisse a Christianis, cum sublatus e medio esset is, quem *nimium religionis Christianae insectatorem* appellat, qui ipse erat ethnicus, (a) Eutropius.

XV.

Hisce praemissis haud fuerit difficile peruenire ad fabulae illius, quam tractamus, originem. Admodum scilicet credibile est, concionatorum aliquem, imo plures, e cathedra sua sacra, vt renuntiata fuerat mors Iuliani, ita exclamasse: *Vicisti, Galilaee*, hoc est, tu, fili DEI, quem *Galilaeum* vocitabat empaecta Iulianus, tandem (b) vicisti ac dis-

Libanianarum corpore, quod idem Wolfius postea concinnauit, *epistola MCLXXXVI. p. 564.*

(u) *Hist. eccl. lib. VI. cap. 7.*

(x) In *Vita Constantini M. lib. II. cap. 61.*

(y) *Lib.* I. *cap. 6. p. 12.*

(z) *Lib.* VII. *cap. 20. p. 598.*

(a) In *Breuiario Romanae historiae lib. X. cap. 8.*

(b) Sic *Apoc. V. 5.* de CHRISTO: *VICIT leo ille, qui est e tribu Iuda.*

discessisti superior, interemto eo, qui te persequebatur tuumque populum. Credibile item est, in comoedia statim a morte Iuliani acta sic aliquem vociferatum esse eodem, quo dixi, sensu: *Vicisti, Galilaee.* Credibile denique est, cum sacris in cathedris, tum in theatris, exclamatum fuisse: *Vicistis, Galilaei,* hoc est, vos, Christiani, quos *Galilaeos* contemtu ludicro appellitabat Iulianus, hoc caeso salui estis. Nec fieri non potuit, vt ipsorum ethnicorum nonnulli hanc erumperent consternati in vocem: *Vicistis, Galilaei,* hoc est, liberati nunc estis, Christiani, imminenti vobis periculo, subductique interitui, quem vobis optabamus enixe. Venit hoc mihi in mentem, cum recordarer, memoriae proditum esse a (c) Tertulliano, persecutorem quendam Christianae religionis, cum intelligeret, se morbo, quo decumbebat, exstinctum iri, hanc edidisse vocem: *Gaudete, Christiani,* quod scilicet mortis haeret in faucibus hostis vester acerbissimus. Iam quae harum fabulae originum sit probabilior, hoc est, quae harum de Iuliano exclamationum translata fuerit ad ipsum Iulianum, arbitrandum aliis relinquo facile. Ego quidem, vniuersa, quae commemoraui, accidisse credo, neque, quo minus credam, quicquam obstare video. Proinde non ex vna stirpe, sed e pluribus, enatam iudico hanc esse fabulam.

XVI.

Praetermittendum hoc historicae Criticae specimen duxi lectionibus per proximos sex menses a me habendis in eam *Historiae ecclesiasticae* partem, quae antecedit Historiam magnae illius, quae LVTHERO duce perfecta est, reformationis Ecclesiae. Quae cum prosperum suum successum etiam arti typographicae debeat, idque Lutherus ipse

(c) In libri *ad Scapulam cap.* 3.

ipse (d) agnouerit, merito celebratum fuit hoc anno pluribus in vrbibus Iubilaeum typographicum. Nec opportunius edi potuisset epistola clarissimi piissimique (e) typographi, *Ioannis Frobenii*, e qua iucundissime elucet, typographiam fuisse Reformationis ministram felicissimam. Mentionem eius epistolae iam fecit (f) Seckendorfius: sed hoc ipso demum, quem agimus, anno ei in lucem prodire publicam contigit in *Miscellaneis* (g) *Groninganis*: quod opus magno publicae rei fructu concinnat celeberrimus Groninganae Academiae Theologus, D. Daniel Gerdesius: e cuius manu nuper acceptam hanc epistolam cupide trado in manus tum Auditorum meorum, tum eorum omnium, quorum sub oculos ventura est haec Dissertatiuncula.

XVII.

En epistola IOANNIS FROBENII ad MARTINVM LVTHERVM!

Dono dedit mihi Blasius Salmonius, *bibliopola Lipsiensis, in proximis nundinis Francksordiensibus libellos varios a te elucubratos,*

(d) In Tisch-Reden *f. 51. b.* edit. anni 1569: **Die Druckerey ist** *summum & postremum donum*, **durch welche GOtt die Sache des Evangelii forttreibet.** Sapiebant igitur Sorbonici illi Theologi, qui regi Francisco I. per literas supplices suadebant, vt vniuersam rem typographicam, quippe per quam Lutheri doctrina disseminetur, in Gallia opprimeret: id quod relatum legimus in doctissimi *de Colonia Historiae literariae Lugdunensis* Parte posteriori, *p. 621.*

(e) Id apparet e *Vita* eius, quam Melch. Adamus exhibet inter *Vitas Germanorum Philosophorum p. 29. sq.* Descripsit haec Adamus ferme omnia ex epistola Erasmi, quae inter eius *Epistolas* a 1529. editas exstat *p. 963. sqq.*

(f) *Hist. Luth lib. I. §. 50. n. 4. p. 68.*

(g) In *Tomi tertii p. 60. sqq.*

tos, quos omnium doctorum iudicio a
excudi. Sexcentos in Galliam *misimu*
duntur Parisiis. Leguntur etiam a Sorb
admodum amici nostri certiores nos re
doctissimi quidam, se iampridem talem
his, qui sacras literas tractant. Calu
Papiensis, vir eruditissimus & Musis sa
tem in Italiam *deportauit: neque tam*
pit renascenti pietati suppetias ferre, &
Is promisit, ab omnibus eruditis in It
missurum in tui laudem scripta. Vsqu
negotio, quod tanta constantia tam vir
Miraberis forsan de nostra tuorum Act
delicet partim Wittenbergensi respondea
sam audi. Miserat nobis ex Augusta
dam noster Responsionem *tuam* (i)
imprimenda erat, cum Caluus *ex Nori*
tum Wittenbergensis editionis quaternion
videlicet. Quem nos statim (k) *imita*
ex Augusta nobis missam vtcunque anne
sii *beneficio Wittenbergensis editionis e*
strae deest, quamprimum licebit, additu
doctis probari, quam de Decretorum
cisti. Praeterea libellos tuos in Brab
mus. Impressimus Replicae Syluestr
exemplaria. Eam negant docti obesse t

(h) Huius bibliopolae, *Minitii Calu*
rius Valerianus *lib. II. de literato*
tionis Menckenianae.

(i) Scilicet *Caietano.*

(k) Id est, ich habe es alsobald nach

(l) Hoc est, *Syluestri Prieriatis.*
Replica in Tomo primo Ienensi
edit. anni 1556: at in edit. anni

iudicio approbatos typis meis statim
n *misimus & in* Hispaniam. *Ven-*
am a Sorbonicis & probantur: quem-
es nos reddiderunt. Dixerunt illic
dem talem libertatem desiderasse in
. Caluus (h) *quoque, bibliopola*
Musis sacer, bonam libellorum pur-
ieque ~~tam~~ spectat lucrum, quam cu-
s ferre, &, quatenus potest, prodesse.
itis in Italia viris epigrammata se
a. Vsque adeo tibi fauet Christique
a tam viriliter tamque dextre geris.
orum Actorum *editione, quod vi-*
respondeat, partim non. Sed cau-
c Augusta Vindelicorum amicus qui-
uam (i) *Cardinali datam. Ea iam*
us *ex Norinberga rediens vnicum tan-*
quaternionem secum attulit, primum
(k) *imitati, reliquam illam partem*
ique annexuimus. Nunc vero Bla-
editionis exemplar nacti, quod no-
it, addituri sumus. Audio enim, a
retorum *violentia coronidem adie-*
in Brabantiam *&* Angliam *misi-*
Syluestrinae (l) *trecenta tantum*
cti obesse tibi posse. Hic vt quisque
est

nitii Calui, mentionem facit Io. Pie-
de literatorum infelicitate p. 370. edi-

obald nachgedrucket.
rieriatis. Recusa quoque est haec
o Ienensi *Operum Lutheri f. 61. sqq.*
edit. anni 1564. *f. 59. sqq.*

est optimus, ita tui maxime est st
mis tibi fauet, eius item Suffr
Cardinalis (m) *Sedunensis, cum*
mus, statim dixit: Luther, tu ve
quidam Eccii Propositiones *m*
tium, quam Eccius Lipsiae contr
statim allaturum. Cui respondit
quantum velit, Lutherus veri
stra nos vsque ad decem vendidim
ditionem in aliquo libro sumus
strumentum, *ab Erasmo diligenti*
sione locupletatum, intra dies decem
mus. Bene vale, Reuerende Pater

XVI

Redeo ad institutum, vos
GIAE AVGVSTAE Studiosi,

(m) *Matthaei Scheineri* ei nc
dicato Seckendorfius. D
sin suam *Epistolae Iacobi.*
Erasmi inter *Epistolas eius l*
quarum e priori discimus
Erasmo Cardinalem hunc
(n) Id est, lauter, *purus.*
lis dictum etiam Io Wolf
Ac Erasmus *lib.* XVIII. *Ep*
nihil laeti ominis ipsum Lu
lingua repurgatorem *sonat.*
etymologiam ipse Lutheru
propriis Germanorum, & c
(o) En *Papismum styli,* de q
sqq. Scilicet nondum om
Frobenius: Nisi forte inc
theranis etiam nonnullis a

ime est studiosus. Episcopus noster in pri-
m Suffraganeus, Tripolitanus Episcopus.
nsis, cum illi tuas lucubrationes obtulisse-
her, tu vere es (n) Luther. Huic nuper
tiones misit, adiiciens, se victoriae nun-
siae contra nouam doctrinam sit obtenturus,
respondit Cardinalis: Disputet Eccius,
erus veritatem scribit. Exemplaria no-
vendidimus omnia. Haud feliciorem ven-
sumus vnquam experti. Nouum In-
o diligentissime recognitum, & insigni acces-
dies decem, fauentibus (o) Superis, absolue-
ende Pater. Basileae d. 14. Febr. cIↄ Iↄ XIX.

XVIII.

tum, vosque rogo, Nobilissimi GEOR-
Studiosi, qui Theologiae vestram ad-
dixi-

neri ei nomen fuisse, docet loco iam in-
rfius. Dedicauit ei Erasmus Paraphra-
Iacobi. Ad eundem exstant duae epistolae
olas eius lib. XX. p. 761. & lib. XXI. p. 820:
discimus, quingentos quotannis ducatos
em hunc dono misisse.

purus. Recitat hoc Sedunensis Cardina-
Io Wolfius in Lect. memorab. T. II. p. 189.
XVIII. Epist. p. 612: Addebat, inquit, non-
ipsum Lutheri nomen, quod Germanorum
rem sonat. Veriorem autem nominis sui
e Lutherus tradidit in libello de nominibus
rum, & quidem sub eius finem.

lyli, de quo disserui in Poeciles T. III. p. 385.
ondum omnes tum errores Papaeos exuerat
i forte incogitate ita scripsit: id quod Lu-
onnullis accidisse, ibidem docui.

dixiſtis operam, vt, qua frequentia adhuc factum eſt, eadem proxime conueniatis in auditorio meo hora nona, qua pertractare ſoleo *Hiſtoriam eccleſiaſticam.* Carere vos quidem hac ſcientiae Theologicae parte haud poteſtis. Sed nec vos in veſtra peccabitis commoda, Generoſiſſimi Nobiliſſimique Iurisprudentiae Cultores, ſi meis Hiſtoriae eccleſiaſticae auditoribus vos adiunxeritis. Noſtis enim, ni fallor, qui vel doctorem Iurium aliquando ſe praebere voluerit, vel eminentiori aliquo munere ciuili fungi, eum, ſi imperitus ſit iſtius Hiſtoriae, nec iuſtam ſcientiam nec veram prudentiam exercere poſſe. Ac inuitant vos ad has lectiones exempla pariter ac praecepta magnorum ICtorum, noſtrae certe aetatis, omnium: quae cordi vobis fore, vel ex eo auguror, quod nuper eximius quidam ordinis veſtri Studioſus me Praeſide publice reſpondit de quodam Hiſtoriae eccleſiaſticae argumento. Ab ouo, quod aiunt, exordiar nunc hanc Hiſtoriam, progreſſurus hoc ſemeſtri ad ſaeculi decimi quarti exitum, viam ſequens a Magnifico Tubingenſis Academiae Cancellario, PFAFFIO, praeclare ſtratam. Inuitatos vero & eos volo meum in auditorium, qui ſemeſtri hoc ex me audire voluerint *Theologiam moralem.* Vti hic ſoleo duce B. FELDENIO, cuius accuratiſſime compoſitas *Inſtitutiones Theologiae moralis*, quamprimum in officinis librariis deſiderabuntur exemplaria, recudendas curabo adiunctis annotationibus meis. Ita autem nunc tractaturus ſum hanc Theologiae partem, vt diſputationi Nobiliſſ. Commilitonum ſubiiciantur poſtremo ſingularum hebdomadum die ea, quae expoſuero diebus quinque prioribus.

XIX.

Libet hac occaſione quandam ſapientiae moralis partem paucis exponere, quae & noſtrae aetatis plura praecla-

ra

ra agitauit ingenia. Tribuitur vulgo voluntati nostrae libertas agendi: quae doctrina magnam peperit difficultatem, cum ipse noster sensus nos doceat, non posse non voluntatem nostram in ea ferri, quae bona esse cognouimus. Expeditius igitur fuerit, tres mentis nostrae agnoscere facultates, *intellectum*, hoc est, facultatem cognoscendi verum & falsum, bonum & malum; *voluntatem*, hoc est, facultatem appetendi bonum, auersandi malum; *libertatem*, hoc est, facultatem (p) id, quod iudicat intellectus bonum esse, quodque ideo voluntas imperat, non faciendi, sed denuo repraesentandi intellectui, vt accuratius rem cognoscat, &, si forte antea male iudicauit, iudicium mutet: quo mutato diuersus etiam nascetur voluntatis appetitus. Est libertas haec tum *interna*, tum *externa*. *Interna* in eo consistit, vt homo possit & iudicium intellectus suspendere, & voluntatis appetitum continere, nouoque iudicio ac nouae deliberationi locum faciat. *Externa* consistit in eo, vt possit homo actionem externam ab intellectu probatam & a voluntate decretam ac imperatam siue producere siue differre, adeoque non producere. Illustrabit hanc doctrinam exemplum Dauidis. Videbat hic Bathsebam, ex eaque capi posse magnam voluptatem, iudicabat. Hoc

(p) Aliquot iam iique magni Philosophi huc tetenderunt, (vt scilicet *tertiam* tribuerent animae facultatem,) sed non satis clare distincteque suam explicarunt mentem. Inprimis Lockius *lib. II. de intellectu cap. 21.* non voluntati hominis, sed menti humanae, libertatem vult tribui. Quam prope, quaeso, aberat, vt diceret, *mentis humanae tres esse facultates, intellectum, voluntatem, libertatem!* Ac eundem, quo Lockius, in modum philosophatus est Archiepiscopus Cameracensis, Fenelonius: id, quod cognoui e Clerici *Bibl. ant. & mod. T. X. p. 193.* Similia Roellius tradit in libri *de religione rationali §. 28.*

intellectus iudicium excipiebat necessario inclinatio voluntatis in tantum, quod quidem videbatur, bonum. Hanc vero non sequebatur necessario effectus, sed poterat Dauid inquisitionem suscipere, vtrum hoc sit verum bonum, an apparens bonum siue falsum, imo verum malum. Id si fecisset, (facere autem debebat,) in idem feliciter incidisset iudicium, quod *Genes. XXXIX. 9.* ferebat Iosephus, atque ita peccatum euitasset. Id quod cum non faceret, neque hac sua libertate vteretur, iustissime a DEO punitus est. Caeterum libertas illa nouam suscipiendi considerationem deliberationemque ex eo deducitur in exercitium, quod homo experiundo satis cognitum habet, & multa videri siue bona siue mala, quae vel bona vel mala vere non sint, & saepius nubem se amplexatum esse pro Iunone, carbones pro thesauro, seque adeo deceptum fuisse. Notitia igitur haec, & nascens hinc voluntas cognoscendi sectandique veri boni, cognoscendi item fugiendique veri mali, determinat, vt sic loquar, mentem ad suspendendum & decretum agendi prius & ipsam actionem, ad nouamque ineundam meditationem. Qua meditatione rite peracta commouetur voluntas hominis ad id agendum, quod vere bonum est, idque omittendum, quod malum esse, clare & ἄνευ παθῶν cognoscitur. Quam vero debilitata sit haec hominis libertas peccato originali, imo quod recte ea sine Spiritus sancti veluti influxu exerceri nequeat, pluribus docet Theologia moralis: quae & hoc docet, libertatem (q) hominis vere Christiani, hoc est, se regendum permittentis Spiritui DEO, & amore erga Patrem coelestem morte Filii placatum penitus aestuantis, in eo consistere, vt seruituti prauarum cupiditatum exemtus promtissime iucundissimeque faciat, quae DEVS praescribit, ideo quod cognoscit, non-

(q) Facile apparet, non de certo actu libertatis hic me loqui, sed de statu siue habitu libertatis Christianae.

nonnisi salutaria nosque felices efficientia praescribi a patre illo paternissimo.

XX.

Sequitur, vt etiam ad *publicas* meas lectiones vos inuitem, Theologiae sacrae Cultores strenui. Iusta scilicet exegesi ac paraphrasi per hoc semestre persequar principis Apostolorum tum *ad Timotheum*, tum *ad Titum Epistolas*. Nostis, has iis esse scriptas omnibus, qui Titi euadere cupiunt ac Timothei, hoc est, Pastores Ecclesiae. Facile igitur perspicitis, in primis curae vobis esse oportere, vt intelligatis talia praecipientem Paulum, & eius praeceptis sanctissima fide obediatis. Enitimini praeterea, quaeso, ne quis criminari possit, in Georgia Augusta negligentius haberi siue a doctoribus siue a cultoribus Theologiae interpretationem sacri codicis. Turpe sane vtrisque hoc foret, cum hoc ipsum sit in Theologia princeps ac praecipuum, atque is demum magnus sit veri nominis Theologus, qui satis eruditus est librorum sacrorum interpres.

XXI.

Nec vero metuendum vobis est, ne, quod praecipue mihi demandatum est, munus *Historici literarii* hoc temporis tractu negligam. Imo vero historiam saeculi decimi sexti (huc enim vsque peruentum est proxime ante festum Archangeli,) sine mora sum ingressurus, & ad exitum *Conspectus reip. literatae*, si Numen fauerit, peruenturus. Ac, si & hoc semestri vti mea opera voluerint studiosi acroasium *bibliographicarum*, indicem me ii ac censorem certis horis habebunt librorum eius generis, quod potissimum ipsi elegerint.

XXII.

Propitius ſit nobis in CHRIST
nos laboribus exercentes ſpectemu
eius, in quo ſumus, mouemur, ac
ſummus pater huic ſcholæ gratiam h
rum! Florere in GEORGIA AVGVST
generis ſapientiam, eiusque filiam,

Scripſi d. XXX. Sept. cIↄ Iↄ

XII.

CHRISTO DEVS, vt literariis
pectemus ante omnia gloriam
nur, ac viuimus. Seruet ille
gratiam REGIS eiusque Proce-
AVGVSTA iubeat veram omnis
filiam, virtutem germanam!

, cIↄ Iↄ cc XL.

του Ναχωρ
του Σεραυχ
του Ραγαυ
του Φαλεγ
του Εβερ
τοω Σαλα
του Καιναν
του Αρφαξαδ
του Σημ
του Νωε

§.

Dantur & alia quaedam
nem observanda. Praecipuum
stro appareat Ιακωβ inter Ηλ
tus. Singularis lectio. Praefer
ZAE Cantabrigiensis, sed subs
omisit. Habet etiam του Ιακ
Lambethanae & Armena versio
Ηλι. Alterum est: nacta est
rectrices, quae tamen non ipsu
sed leviora. Sic e vocabulo Ι
erasa, ut legeretur Ιαννα; &
ultima syllaba ερ charactere min
NAN, Arphaxadi filius, etiar
facit, quod scriptus sit infra l
cum parallelo, Ενως. Alibi
codice infra has lineas stylo me
huius genealogiae nomina not
tem ultimae litterae posito, e
ιναν, filio Enosi, quae duobu
dum supra repraesentavimus.
quae nos morari non debent.

του Λαμεχ
του Μαθουσαλα
του Ενωχ
του Ιαρεδ
του Μελελεηλ
του Καιναν
του Ενως
του Σηθ
του Αδαμ
του Θεου.

§. XIII.

quaedam circa hanc Genealogiae scriptio-
aecipuum horum est, quod in codice no-
inter Ηλι & Ματθατ v. 23. 24. colloca-
. Praefert quidem IACOBVM codex BE-
, sed substituit in locum του Ηλι, quem
του Ιακωβ codex Ephesius bibliothecae
ena versio, sed interponunt inter Ιωσηφ &
nacta est haec codicis scriptura manus cor-
non ipsum ordinem immutatum notarunt
ocabulo Ιωαννα v. 24. littera ω scalpello est
ννα; & nomini ΕΛΙΕΖερ v. 29. appicta est
ctere minuto. Porro: famosus ille CAI-
ius, etiam hic adest. Et nihil contra eum
sit infra lineas circino ad normam ductas,
Alibi enim etiam scriptum est in hoc
s stylo membranae incisas. Omnia denique
mina notata sunt puncto ad summam par-
posito, exceptis duobus, Αβρααμ & Κα-
ae duobus punctis sunt affecta, quemadmo-
tavimus. Sed nimis forte haec sunt subtilia,
debent.

§. XIV.

Reſtat, ut ſpecimen ex noſtro codice producamus, ubi bene ſe habet, ubi germanam lectionem praebet. Atque hoc reſpectu non poſſum non honorifice praedicare codicem cariſſimum, quoniam me docuit verum ſenſum dicti maximopere ſollicitati Ioh. VIII. 25. *και ειπεν αυτοις ο Ιησους την αρχην οτι και λαλω υμιν.* Credo, bona lectorum pace ſuperſedere me poſſe variarum huius loci interpretationum recenſione. Sufficiat memoraſſe, quod B. WOLFIVS in Curis ad h. l. ingenue faſſus ſit, quamlibet earum difficultatibus ſuis premi. At *μια κεραια*, una virgula loco ſuo poſita caligines illas diſſipat & verba in primigeniam ſuam lucem reſtituit. Nolo lectores morari. Ita legitur in codice noſtro: *και ειπεν αυτοις ο Ιησους την αρχην, οτι και λαλω υμιν.* Nimirum virgula inter *αρχην* & *οτι* eſt locata. Dabo particulatim, quae aditum ad ſenſum dictionis mihi patefecerunt, in ſingula ergo verba obſcuritate celebria quaedam commentabor.

και ειπεν αυτοις ο Ιησους την αρχην, i. e. *τον πρωτον λογον, ον ηρξατο ποιειν* Act. I. 1. AELIANVS L. II. Var. Hiſt. c. 4. *ειπε τον εξ αρχης λογον*, ad quem locum bene SCHEFFERVS in indice: CICERO *dixiſſet*, orſus eſt a principio, PLINIVS, a capite. Sic apud THEOPHRASTVM *περι ακαιριας* p. 39. ed. CASAVBONI: *ακηκοοτας και μεμαθηκοτας ανιςασθαι εξ αρχης διδασκων*, eſt, *rem orſus a capite exponens iis, qui iam audiverant & didicerant.* Idem *περι απονοιας* p. 20. ita: *και τουτο δ᾽ αν ειναι δοξειε των περιισαμενων τους οχλους, και προσκαλουντων μεγαλη τη φωνη και παρερρωγυια διαλεγομενων προς αυτους και λοιδορουμενων. και μεταξυ οι μεν προσιασιν, οι δε απιασι πριν ακουσαι αυτου, αμα τοις μεν ΑΡΧΗΝ, τοις δε συλλαβην, τοις δε μερος του πραγματος λεγει.* Quae Latine, interprete CASAVBONO, ita ſonant: *Eſt etiam iſte ex iis, qui turbam circa ſe ſiſtunt & obvios ad ſe vocant, quibuſcum voce magna & praefracta loquuntur, iisque maledicta ingerunt: at-*

que

que illi interea partim accedunt, partim discedunt, priusquam, quid sibi ille velit, audierint, dum ille aliis principium, aliis vix syllabam, aliis partem aliquam de re tota refert. ISOCRATES in *Laudat. Helenae* (*) p. 500. sq. edit. Basil. ex offic. Oporin. 1594. Αισθανομαι δ'εμαυτον εξω φερομενον των καιρων, και δεδοικα, μη τισι δοξω περι τουτου μαλλον σπουδαζειν, η περι ης την αρχην υπεθεμην. *Sed me excedere modum, ac providendum esse video, ne qui me putent de hoc laborare magis, quam de ea, propter quam haec instituta fuit oratio.* Ita vertit HIERON. WOLFIVS. Subaudias ad voces την αρχην, του λογου, & eximie ad nos facient verba. Opus ergo non est praepositione κατα, per ellipsin omissa. Την αρχην regitur a verbo υπεθεμην. Conf. quae non multo ante, p. m. 494. ISOCRATES: την μεν ουν αρχην του λογου ποιησομαι την αρχην του γενους αυτης. Add. Eccl. X. 13. Hos. I. 2. κατα τους ό & Io. XVI. 4. ATHANASIVS Orat. II. contra Arianos T. I. p. 361. Τουτο δυνατον ιδειν, ει την αρχην του αναγνωσματος τις εκλαβοι. Φησι γαρ ο αποστολος· πολυμερως και πολυτροπως, κ. λ. *Hoc inde videri potest, si quis initium sectionis seu lectionis intelligat. Dicit enim apostolus, ad Hebraeos C. I. v. 1. Multifarie & multipliciter, caet.* Ita SVICERVS *Thesauri Eccles. T. I. p. 249.* CHRYSOSTOMVS *Homil. IX. in Epist. ad Hebraeos*: Πανταχου η αρχη και τα προοιμια δυσκολα. Cit. eod. Thes. T. I. p. 526. Si quis autem praeoptaret vel cooptaret valorem vocabuli αρχη, quo notat κεφαλαιον, περιοχην, summam sermonis: non est quod magnopere contradicam. Sic bene conspirabit cum Hebraeorum ראשי, cuius sensum docuit LIGHTFOOTVS *in Horis Hebraic. in h. l.* Idem sic erit ac ראש מלין Dan. VII. 1. quod vertit alius: κεφαλαιον των λογων, alius: αρχη λογων. Vid. ORIGENIS *Hexapla edit.* BERN. DE MONTFAVCON.

D 2 Acce-

(*) Locum adduxit Cl. IO. LVD. PACHTIVS §. 23. *Diss. de de Christi responsione: Quod dixi dico Io. VIII. 25. Praes. Cel.* WAEHNERO *hab. Gottingae 1741.*

Accedit & hoc, verba Servatoris ſequentia v. 26. aperte reſpiciunt ea, quae ante dixerat, in primis vv. 14. 15. 16. eorumque argumentum tradunt. Forte & plura addidit Chriſtus, Ioannes autem eorum compendium tantummodo exhibuit.

ὅτι ſine hypodiaſtole. Eſt coniunctio. Dicitur hoc ὁτι rectius εξηγηματικον, quam πλεοναςικον. Significat, ipſa loquentis verba recitari. Dictionem hanc Hebraismum reſipere, docte negavit IAC. GVSSETIVS *Commentar. L. Ebraicae p. 380. ed. Amſtel. 1702.* Etiamſi enim interdum τῳ οτι εξηγηματικῳ aequivaleat Hebraeorum כִּי, v. g. Exod. III. 12. tamen nonniſi ϛυμπτωσις quaedam eſt utriusque linguae. Neque tamen Hellenismum e trivio eſſe cum GVSSETIO ſuſpicarer. Optimi enim Graeci ſcriptores eo uſi ſunt. Vid. OLEARII *L. de Stylo Novi Teſtamenti p. 29. ſq. edit.* SCHWARZ. *&* TOB. ECKARDI *Obſ. ex Ariſtophanis Pluto p. 103. ſq.* qui plures citarunt. Hanc του οτι vim non ubique obſervavit MILLIVS. Truci profecto obelo iſtud transfixit *Prol. n. 1201.* ubi de genuinis lectionibus verſionis Aethiopicae: Ειπεν αυτοις· εγω ειμι *Io. XVIII. 6. Vulg. Syr. Arab. Orig. Nonnus, Alex. alii.* Οτι, *quod in editis, inſititium eſt.* Neſcio autem, an ex ſilentio NONNI & Verſionum tuto poſſit inferri, οτι a codicibus, quos transtulerunt, abfuiſſe. Quamvis enim ſaepiſſime verterint, eoque nomine peccaverint, tamen non ſemper, vel, quia vim eius intellexerunt, vel, quia aliis rationibus ducti ſunt. Conf. S. Rev. CHRIST. BEN. MICHAELIS *tract. crit. de Variis Lectionibus N. T. p. 61.* Sagacius odoratus eſt *Prol. 915.* MILLIVS: Ειπον αν υμιν, οτι πορευομαι *Ioh. 14. 2. Codd. plurimi. Vulg. Arab. Cyril. Theodoret. inſerto τῳ οτι, quod hic ſubintellectum.* Et n. 1483. de codice MS. Covelli ſecundo: Και παλιν· οτι Κυριος κρινει *Hebr. X. 30. ſic. Clar. Ger. Vulg. & LXX. Interpretes, Deut. XXXII. 35. Sublatum poſtea videtur iſtud οτι, quod nonnihil turbare videretur ſententiam loci.*

και h. l. particula aſſeverandi, indicat gravitatem & affectum dicentis, non autem ſtomachum & animi aeſtum, ut alibi. Sic

Sic Io. VII. 28. εκραξεν - ο Ιησους - λεγων· καμε οιδατε, και οιδατε ποθεν ειμι· και απ' εμου ουκ εληλυθα. Quae Cel. HEVMANNVS Germanice reddidit: *Ia, ia, ihr kennet mich*, rel. Act. V. 38. και τανυν λεγω υμιν. Iudith. XII. 14. και τις ειμι εγω αντερουσα τω κυριω μου. Et Aspasia illa, seu Milto, munus oblatum recusans, Cyro: και πως, εφη, τολμησω παρυσατιδος δωρον αξιον της τεκουσης σε περιθεσθαι αυτη; *Aelian.* Var. Hist. L. XII. c. 1. Nimirum ita respondebat ad procacissimam quaestionem mitissimus atque lenissimus Servator, ut non gravaretur, prius iam dicta denuo dicere. Aliter ille, caecus a nativitate, cui Christus oculos restituerat, indignabundus: ειπον υμιν ηδη, και ουκ ηκουσατε· τι παλιν θελετε ακουειν;

λαλω idem hic, quod λεγω. Vid. WOLFII *Curae in h. l.* &, qui multo plura ex LXX. Interpretibus & N. T. congessit loca, Laud. PACHTIVS Diss. cit. §. 26.

His praemissis, dictionis cola ita distinguimus: Και ειπεν αυτοις ο Ιησους την αρχην· Οτι και λαλω υμιν. I. e. *repetiit paullo ante dicta Iesus, quin, inquiens, dico vobis, quis sim, non celo, neque est, quod addam. Multa autem habeo de vobis, qui fidem omnem mihi denegatis, dicenda & reprehendenda. Attamen, etiamsi non credatis, verax certe est, qui me misit, & vera sunt, quae ex ipso audiens, hominibus manifesto.* Ita, ni fallor, cohaerent vv. 25. & 26. Sic Graece omnino & plane loquutus est Servator. Eadem fere verba respondebat ad geminam interrogationem Ioh. X, 25. Ειπον υμιν, και ου πιστευετε. Cf. c. XVIII. 8. Sed non iam licet mihi huic interpretationi diutius immorari, qui apud animum statueram, criticas qualescunque scribere observationes.

T A N T V M.